



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Lupus Episcop. 29. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

ipse in exilium est pulsus. Redit tamen postlimi-  
niò in regnum. Verùm, quòd secum reducere etiã  
justitiam laboraret, concitavit in se Danorum ar-  
ma. Contra hos dum movet, videt in somnis sca-  
lam ad cælos pertingentem, dumque illuc conni-  
titur, ecce à legato expergefactus conqueritur ni-  
mirum cælo se detractum. Sed eodem mox subiit,  
cum proditus à suis in pugnâ cecidit. Nostri ta-  
men ævi principibus scalam, hoc est, vitæ exem-  
plum reliquit. *Ex vit. Aquil.*

*Dum vacat & licet, virtutes amplectere: in oculis  
tuis versetur pudor, in auribus veritas, verba vitæ in lin-  
guâ tuâ, imago Dei in corde tuo, in membris omnibus  
continentia, ut ab Angelis & hominibus collauderis.*  
S. Ephrem. de Exercitatione.

## S. LUPUS EPISCOP. 29. Iulii.

**L**VPVM dixi. Tu, si vitam leges, ovem, scio, di-  
ces, ita placidis moribus hic LVPVS erat. In  
conjugio annos egit septē omnino. Dehinc inter  
Cænobitas cœpit vivere, & conjux in virginum  
collegio, gratissimo Superis divortio. Verùm Tre-  
centes ex cænobio extraxerunt, & quamvis invitū  
LVPVM pastorem sibi legerunt, felicissimo eventu.  
Alter enim lupus sed longè crudelissimus gregi im-  
minebat Attila, ille orbis prædo, ebrius semper, sed  
nunquã satur humano sanguine. Et jã infesta signa  
urbi inferebat, cum obvius irato cum suis fit Ponti-  
fex, rogatq; quem deniq; sese esse putaret Rex, qui  
mundum sic omnē fulminis instar pervaderet? At-  
tila nihil humile spirans, *flagellū DEI* se esse respon-  
det. Hic enim verò Antistes portas pandi omnes  
civitatis jubet & modestissimis verbis avere mul-  
tum jubet *DEI flagellum*. Quid expectas? verba hæc  
fero-

ferocissimum & ultima minitantem animum demulserunt, & LVRVS tyrannum cicuravit. Ceterum huic verborum modestiæ victus quoque ratio & vestitus responderunt. Et cibum quidem tertio primùm die sumpsit, Sabbato cibario pane contentus. Vestem quoque unicam gestavit, sed subditiã alterã (cilicio) superbam. Ex Surio & Naclero.

*Ad Deum tuum refer flagellum tuum: quia nec Diabolus tibi aliquid faciet, nisi ille permittat, qui desuper habet potestatem, aut ad pœnam, aut ad disciplinam. Ad pœnam impiis, ad disciplinam filiis: Flagellat enim omnem filium quem recipit. S. Aug. in Ps. 31.*

## SS. ABDON &amp; SENNEN MM.

30. Iulii.

**C**ensebantur ABDON & SENNEN inter primos Persiæ purpuratos. Et verò nisi cunæ in patriã, mors Romæ purpuram donasset. Nam quòd Christiano principe non indignum officium arbitrarentur, Martyrum esse vespillones, suisque manibus terræ mandare horum corpora gauderent, vinctos Decius Romam adduxit. Ibi ad tyranni tribunal steterunt auro gemmisque splendidi rei; sed extinguebant harum lucem catenæ ferreæ, quas nimium quantum gloriosi jactabant. Itaque cum munera ingentia promitteret tyrannus, si ad Deos transfirent, risere scilicet, & ad omnia tormenta provocarunt. Plumbatis igitur tentati, contra ferreos se præbuerunt. Inde in theatro feris obiecti; sed plausum meruere & victa Martyribus colla leones submisere, feræque cicures hominem contra feros homines visæ defendere. Reperti interim qui necem inferrent gladiatores. Sed &

Mar-